Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2137
Quelle:
Copyright:

dem ad iussum imperatoris (Caroli IV.) *et archiepiscopi pragen.* (Arnesti) *legendam de sex lectionibus cum omeliis de sancta Maria virgine pro mansionariis* (Metropoliticae Prag.) *comportauerat, in isto rursus volumine — elegantiora dicta de lectionibus illis excerpta pro singulis anni diebus per tres, in virginis vero festivitatibus et natiuitatis christi per sex lectiones et omelyas distingwens Anno domini M° CCC° LVI° studiose collegit.* Prolixius videlicet illud fuisse, hinc praesens istud dici posse *Matutinale minus*. Subnotatur minio: extare etiam alium *Prologum* sub eodem principio, sed non esse istius compilatoris. Compilatorem hunc *Conradum* fuisse nomine, ex alio Codice sibi viso testatum reliquit ὁ πανυ *J. G. Schwandnerus* noster. Incoluerit is Carthusiam *Horti B. M. V.* ad *Pragam* a Rege *Johanne* fundatam et postea vastatam ab *Hussitis*, sed in *Bibliotheca Petreji* nulla ejus mentio, neque in *Balbini Bob. docta. Mainardus* ex illustri Stirpe de *Nova Domo*, seu *Neubaus* Sedem *Tridentinam* nunquam adiit defunctus in patria a. 1362. Carthusianos Horas de Beata jam adoptasse vivo D. *Brunone* constat ex ejus Vita apud *Surium 6. Octobr.* c. 21. 22. Lectiones porro *Matutinalis* nostri e diversorum PP. Operibus excerptae sunt, atque subjuncta habent pulcra II. Diplomata, primum quidem *Arnesti* Archiep. *Prag.* datum *Rudnicz 1356. die* XXII. *mens. Septembr.* alterum *Gotfridi* (II. de Weisseneck) *Patauiens.* Ep. datum *Patauie in octaua corporis Christi* 1358. quibus uterque Praesul novas has Lectiones recitaturis *pro qualibet die XL. dies indulgencie de iniunctis eis penitentiis misericorditer in Domino* condonat, eosque a debito recitandi antiquas absolvit. Accedit Rubrica: *Finitus est ille libellus Egregius per manus Michahelis filii doliatoris de Gors* (Collegio Can. Regular. in ditione *Salisb.* ad fines *Bavariae*, alias *Gars*) *pro tunc temporis lectoris mense dotl. ibidem Sub anno Domini M° CCCC° XXVII. feria VI. post festum sancti Martini ep.* et alia quaedam ad Officium de B. V. pertinentia.

II. *fol.* 365. p. 2. praefixo anno 1484. crassiore calamo sequitur Officium de S. *Gertrude Pipini* et *Ittae*, sive, ut Noster, *Hyttae* Filia nata a. 631. aut 32. *Nivellis* in Brabantia, et ibidem sacrarum Virginum Antistita usque ad a. mortis 664. jamque a *Beda* in *Martyrologio* memorata ad diem XVI. *Kal. April.* ad quam diem etiam a *Bollandianis* ejus Acta traduntur T. II. *Mart.* p. 592. Testantur hi, cultum ejus etiam per Dioeceses germanicas *Salisburg. Passav.* et *Ratispon.* vigere, id, quod et Codex noster probat. Incipit is a *Vesperis*, quae prout *Matutinum* et *Laudes*, omnia propria habent, Hymnos, Antiphonas et Responsoria. Subduntur VI. *Lectiones*, quibus enarratur ejus vita, quarum primam hic dabimus. *Venerabilis virgo Gerdrudis nobi-*